

et stamina duo. Dicerem affinem Utriculariae, sed calyx quadrifidus.

Catalogum Tidströmio tradidi, promittit suum circa novum annum, quum studiosi tum abeant.

Muscae inclusae erant Musca scybalaria, gratum erat audire earum verum domicilium.

Campanulam tuam equidem non novi.

In fenestra Camari mei crescit jam Cleome gigantea, quam amicissime misisti, cum octofoliis, quam continuo curo et intueor, quaeque quotidie mihi Tuam amicitiam in memoriam revocat.

Quaeso etiamnum, si poteris, cures recentia semina Loasae, si possibile ego comparabo semina Calceariae.

Vive felix. Dabam Upsaliae 1768, d. 4. Novembr.

### 43.

Viro celeberrimo DD. Jacquin s. pl. d. C. Linné.

Literas Tuas Vienna 12. Decembris, hodie accepi.

Planta Tua, nisi valde fallor, est *Arenaria balearica* descripta in appendice ad *Syst. nat. tom. 3. p. 230.* in Tua vero pedunculi breviores sunt, quae in nostra quadruplo longiores. forte quod nostra sit in olla constituta. Si fructus cernui sunt, absolute est *A. balearica*, dicitur a me *Arenaria* foliis ovatis, nitidis, subcarnosis, caule repente. Folia lucida sunt a pilis paginae superioris, raris, vix conspicuis.

Cleome gigantea Tua adhuc vivit, uti etiam *Lobelia longiflora*, utinam perdurarent in tempus vernale, ut viderem harum fructificationem.

Trifolii maximi et *Nepetae lanatae* seminibus, si me beare non grave ducas, gratissima omnino erint. Sed si umquam Loasam obtineas, millies precor me non obliviscaris.